



Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Examen judiciale Francisci Veneti asseclæ Massilij de Padua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

*Examen judiciale Francisci Veneti affectæ
Massilij de Padua.*

ANNO à nativitate Domini M C C C X X V I I I .
die xx. mensis Maii. Cùm ad audientiam
Sanctissimi Patris & Domini nostri Domini Ioh-
annis divina providentia Papæ xxi. pervenis-
set quòd Franciscus filius dicitus Dominæ Iohan-
næ de Contrata sanctæ Mariæ matris Domini
de Venetiis Castellanensis dioecesis hactenus fuis-
set in servitio perfidi hominis Massilii de Maynar-
dino de Padua, & cum eodem Massilio moram
traxisset diutiùs in civitate Parisiensi & alibi,
eundem Massilium associando, coadjuvando, &
dirigendo in diversis & enormibus actibus & ex-
cessibus multiplicibus commissis per Massilium su-
pradicatum.

Item quòd eidem Massilio & Iohanni de Iandu-
no perfidis in componendo seu compilando quen-
dam libellum continentem errores varios & diver-
sos ac multiplices contra præfatum Dominum no-
strum Summum Pontificem sanctamque Romanam
Ecclesiam & fidem catholicam ipse Franciscus &
plures alii, ipso sciente & consentiente & ratum
habente, serviverant, consuluerant, & faverant in
civitate Parisiensi prædicta.

Item quòd ipse Franciscus dictum Massilium af-
ficiasset, & eidem Massilio & Iohanni de Iandu-
no astitisset in publicatione quam fecisse diceban-
tur de libello & erroribus supradictis in civitate
& extra civitatem Parisensem prædictam.

Item quòd in prædictis & circa prædicta & in
multis aliis & diversis excessibus per dictos Ma-

V iiiij

I.

II.

III.

IV.

silium & Iohannem de Ianduno enormiter perpetratis, præsertim in transcribendo libellum prædictum, & de eodem libello copiam aliis pluribus faciendo, dederat eisdem auxilium, consilium, & favorem.

v.

Item quod in recessu dicti Massilii, quando de civitate Parisiensi dicitur ad Ludovicum de Bavaria accessisse in Alamanniam, associavit eundem Massilium, & sibi libros portavit & alia, & specialiter libellum continentem errores supradictos.

vi.

Item quod de præmissis & multis aliis delictis & excessibus ipse Franciscus erat & fuerat principaliter culpabilis, & etiam adhæserat Massilio & Iohanni de Ianduno prædictis ac multis aliis complicibus eorundem, & in compositione & compilatione libelli & errorum prædictorum & publicatione eorum dederat eis auxilium, consilium, & favorem.

vii.

Item quod multas litteras scripserat & misera dicto Massilio in Alamanniam, & ab eodem Massilio plures litteras receperat in civitate Parisiensi prædicta & in Romana curia & aliis locis diversis eidem favendo, & etiam sibi pecuniam mutuavit, & multos sciebat homines qui dicto Massilio pecuniam mutuando & aliás eidem & dicto Ianduno & complicibus suis & eisdem adhærentibus in præmissis dederant auxilium, consilium, & favorem.

Vnde cùm præmissa non debeant impunita convenientibus oculis pertransire, dicto Francisco in præsentia venerabilis patris Domini Gasberti Dei gratia Arelatensis Archiepiscopi memorati Domini nostri Papæ Camerarii apud Avignonem infra palatium ejusdem Domini nostri personaliter constituto, processit dictus Dominus Camerarius virtute commissionis sibi factæ, ut dixit, per præfatum

Dominum nostrum Papam oraculo vivæ vocis ad inquirendum cum dicto Francisco super omnibus supradictis. Super quibus juravit idem Franciscus dicere puram & simplicem veritatem quam sciret inquirere, sicut sequitur.

Primo interrogatus dictus Franciscus per præfatum Dominum Camerarium super contentis in primo articulo, juramento suo prædicto, dixit se nunquam fuisse servitorem dicti Massilii, nec cum eo moram traxisse in eodem hospitio, nisi duntaxat serviendo sibi ut scholaris, parando mensam & dando vinum aliquotiens, & raro, sicut & nonnulli alii scholares Italici faciebant.

Item super contentis in secundo articulo interrogatus suo juramento, negavit omnia in eo contenta fore vera, dicens quod si ipse errores hujusmodi scivisset, eos revelasset Domino Episcopo Parisensi; nec scivit vel audivit aliquos interfusse compositioni seu compilationi dicti libelli, exceptis dictis Massilio & Iohanne de Ianduno; de quibus audivit dici post recessum dicti Massilii per duos mentes quod dicti Massilius & Iohannes tantum compilaverunt dictum libellum. Et istud audiverat dici à Magistris legentibus Parisius, & ab aliquibus religiosis heremitis. Et de hoc etiam dicit tunc esse famam publicam Parisius, tempore quo ipse Franciscus erat ibi, post recessum videlicet Massilii supradicti. Quo tempore dicebatur dictum libellum continere multas hæreses & errores contra fidem catholicam. Sed quid in particula fei seu speciali contineret libellus prædictus, dixit se nihil scire nec dici audivisse tunc nisi quod supra afferuit.

Item super contentis in tertio articulo interrogatus juramento suo prædicto, respondit ut proximo, non credens, ut dixit, quod dicti perfidi vi-

ri fuissent ausi in civitate Parisensi talia publi-
care.

Item interrogatus per juramentum suum super
contentis in quarto articulo, negavit contenta in
eo penitus vera esse.

Item interrogatus super contentis in quinto arti-
culo, negavit etiam omnia contenta in eo fore ve-
ra, afferens se nunquam vidisse, cognovisse, vel
aliás associasse aliquem prædictorum Massilii &
Iohannis extra civitatem Parisiensem, tamen ali-
quotiens associavit dictum Massilium, tantum eun-
do videlicet spatiatum, & etiam visitando aliquos
infirmitates Parisius, quia idem Massilius sciebat in
medicina & interdum practicabat.

Item super contentis in sexto articulo interro-
gatus, juramento suo, negavit omnia contenta in
eo vera esse.

Item super contentis in septimo articulo interro-
gatus, dixit se nunquam scripsisse alicui dicto-
rum Massilii & Iohannis nec ab ipsis etiam litteras
recepisse vel ab altero eorundem. De pecuniæ mu-
tuariione dixit quod ipse quandoque tradidit dicto
Massilio de pecunia sua, non mutuando, sed ut
eam sibi custodiret, & inde sibi bursas ministraret,
sicut interdum sibi unum vel duos florenos trade-
bat; & adhuc idem Massilius tenetur dicto Fran-
cisco ratione dicti depositi in xiiii. solidis Par-
siensibus. Item dixit quod dictus Massilius fingen-
cautelosè se lecturum Parisius cursum in theolo-
gia, recepit pecuniam mutuò à quibusdam amici-
suis. Videlicet à Domino Roberto de Bardis stu-
dente Parisius recepit nonem florenos auri mutuo.
Item à magistro Andrea de Reate Sirurgico re-
cepit decem libras Parisienses. Item à magistro
Petro de Florentia Physico decem florenos vel de-
cem libras Parisienses. Item audivit dici quod Do-

minus Andreas de Florentia magister Regis Franciae mutuavit dicto Massilio pecuniam, tamen nescit summanam.

Interrogatus si predicti mutuaverunt dictas pecunias memorato Massilio in recessu suo, videlicet de Parisius in Alamanniam, dixit quod non credit, sed bene per unum vel duos menses ante recessum predictum fuit factum dictum mutuum.

Item interrogatus quomodo sciebat predicta, dixit quod pro eo quia ea dici audiverat a dictis mutantibus; qui dum sciverunt recessum ipsius Massili, conquerebantur de ipso, ac eundem publicè de predictis receptis per eum mutuò pecuniis difamabant.

Examen judiciale fratris Francisci de Esculo ordinis Minorum.

*Die Martis sexta mensis Februarij exhibita
per fratrem Franciscum.*

FRATER Franciscus de Esculo ordinis Minorum constitutus in praesentia Reverendi Patris Domini Sabinensis Episcopi ad respondendum quibusdam articulis infrascriptis per eundem Reverendum Patrem & Dominum Sabinensem Episcopum sibi traditis respondet, præmissa & repetita potestate per eum alias facta, scilicet quod omnia dicta sua supponit correctioni & determinationi Domini nostri Summi Pontificis & apostolicæ sedis.

An. 1341.

Ad primum articulum, qui noscitur esse talis, quod dicere & asserere quod Christus viam perfectionis ostendens, & Apostoli eandem viam per-